

in libris de natura Deorum : tenuerunt & Aristotelis discipuli, Heraclides & Theophrastus : tenuit & Simplicius ex Peripateticorum Scholis profectus, cujus egregia sunt de unico bonitatis, veritatis, pulchritudinis fonte, & omnium principiorum principio effata, Christianæ lucis scintillis illuminata, quique ad primæ causæ veritatem asserendam Aristotelis argumenta adhibuit. Sensit idem princeps Cynicorum, Antisthenes, Deumque dixit unum esse naturalem, multos populares; sensit Stoicorum princeps Zeno, ac doctrinam hanc tradidit uterque sequacibus suis; à qua tamen discesserunt nonnulli: non utique Seneca, non Epictetus, non Marcus Aurelius, quorum de Deo, Deique natura, luculenta constant testimonia. Ne Democritus quidem & Epicurus sustulerunt Deos, etsi de iis absone protulerunt. Multo etiam minus Poëtæ veteres, quamvis in magna sentiendi & dicendi licentia: recta enim atque pia de Deo prolocuti sunt Æschylus, Euripides & Aratus, cujus suffragio Atheniensium superstitionem oppugnare non dedignatus est Paulus; sed & vetustior Solon, & Simonides, & Pindarus, & Parmenides, & Diphilus, & Euphorion, & Hermesianax, ac reliqui prope omnes. Imprimis Sophocles, qui & Deum esse dixit, & unum esse, & condidisse orbem, & ad eum exprimendum, miseriamque hominum sublevandam, simulacra incassum adhiberi. Magnifice hæc eadem, atq; his etiam illustriora protulit Orpheus ille supposititius, sed antiquus tamen, quem in asserendo summo Dei jure & imperio adstipulatorem Patres adsciscunt: si modo tamen hæc Orphei nomine à Christianis ipsis non sunt conficta: quod facile odorantur, qui nare pollent, & ex Origene colligitur, qui Orphei Poëmata ad suam ætatem non pervenisse tradit. Nun si universalium gentium perrogemus sententias, verum esse comperiemus, quod à Maximo Tyrio & Æliano pronunciatum est, neminem extare inter Barbaros, sive Indos, sive Celtas, sive Ægyptios, sive alios quoscunque, in quibus hæc incesserit dubitatio, sintne Dii, annon sint. Consentientes autem habemus potissimum eas gentes, quæ aliquam ab ingenio & elegantiori cultu duxerunt commendationem, Romanos, Græcos, Ægyptios, Chaldaeos, Assyrios, Persas; qui ignem & Solem, non ut Deos, sed ut supremi Dei, rerum omnium principii & auctoris, imagines coluerunt; Brachmanes, quæ Indicæ gentis; Sinenses, quæ Orientis totius cultissima pars est: inter quos secta quædam summum mundi opificem Tao appellat; nomine, uti conjicio, ab Ægyptiorum Theuth deducto: nam per bellicas expeditiones & commercia in Orientem penetra-

A& 17, 28.

Sophocl. a.

pud Justin.

de Mo-

narch. Dei,

& Athenag.

Legat.

Orph. apud

Justin. Pa-

ræn. & de

Monarch.

Dei: &

Clement.

Alex.

Strom. 5.

Origen. 1. 1.

contr. Celf.

Maxim.

Tyr. Dif-

fert. 38.

Ælian. Var.

Hist. 1. 1. c. 31.